

QUESTIO IX.

Pecunia servata in arca Monasterii, quam naturam habeat, ut expendi valeat.

SUMMARIUM.

- 45 Pecunia habita ex re immobili, vel nobili pretiosa, ut talis reputatur, & n. 46.
47 Immobile venditum habens affixum onus Missarum, aliud immobile est emendum, & n. 48.
49 Pecunia ad immobilia destinata potest in aliud expendi.
50 Pecunia, quae est utilis, & fructifera inter immobilia computatur.

45. Pecunia vel comparata ex elemosynis, vel relicta ex legato testatoris vel habita ex redditibus Conventus, vel ex rebus Conventus, quae servando servari non possunt, ut ex vino, oleo, & similibus expendenda est in iis quae sunt necessaria Conventui, quis pecunia usui quotidiano deservit, & ad illum est destinata, & servata nullum fructum parit, Molina tom. 2. disp. 465. ad finem.

46. At vero si pecunia habita est ex re immobili, vel ex re mobili pretiosa vendita, ut renovaretur, nullo modo potest expendi sine licentia Apostolica in alia re, sed ex illa emenda est alia res immobilis, vel mobilis pretiosa, quia illa pecunia habet naturam illius rei, ex qua comparata est. Ita Azor. p. 2. lib. 9. cap. 1. q. 5. Castro Palus tom. 1. tract. 12. disp. unica. p. 15. §. 1. n. 5.

47. Si autem illud immobile venditum habebat affixum onus missarum pretium, sub pena interdicti convertendum est in aliud immobile fructiferum; sic declaratum est à Sacra Congregatione in decreto de celebratione Missarum, ut referunt Gavantus in Manuali, verb. Alienatio, n. 36. Lezana verb. Alienatio, n. 17.

48. At vero si pecunia, vel à testatore, vel auctoritate Praelati, & consensu Religiosorum, destinata est ad emendam rem immobilem, vel mobilem pretiosam, non potest in aliud expendi: nam talis pecunia destinata ad rem immobilem inter res immobiles computatur. Ita Cevallos, Caldas Pereira, Filliucius, Quaranta, Azor, & Bonacina, quos citat, ac sequitur Barbosa de potestate Episcopi, p. 3. allegat. 95. num. 41. Azor, & alii dicunt, quod ad hoc sufficit auctoritas Praelati localis, idemque etiam dicunt de dote Moinalis, quia voluptas donantium est, ut illud perseveret in Monasterio pro sustentatione Monialis. Ita etiam cum multis Dicastillis de justitia, lib. 2. tract. 15. disputat. 1. num. 179. Fr. Antonius ab Spiritu Sancto, in director. tom. 2. tract. 3. disp. 6. num. 1137.

49. Haec tamen doctrina in multis mihi videtur difficilis, verum est, quod si pecunia à Praelato superiori destinata est ad rem immobilem cum consensu Conventus: cum eodem consensu à Praelato inferiori non potest illud

transmutari; at vero ab eodemmet Praelato eum Conventu, ex circumstantiis occurrentibus, poterit in rebus necessariis Conventus expendi; namque eadem est potestas ligandi, atque solvendi, & decreta Summorum Pontificum loquuntur de bonis immobilibus; at vero illa pecunia tantum est in potentia ad immobilia ex hominum voluntate; quae revocari potest. In hac sententia est Menochius de praesumpt. lib. 4. quaest. 138. num. 3. eam expressè tenet Bordon tom. 1. Resol. 27. num. 51. de dote Bordon. Monialium; quamvis id, quod dicitur de perseverantia ad sustentationem sit commune inter Doctores; tamen in praxi in necessitatibus Conventus consumi solet, ut experientia notum est.

Ex quibus facile deducitur, quod pecunia, quae destinata est ad emptionem stabilium censuum, vel mobilium pretiosorum, vel quae est fructifera, & non otiosa, qualis est pecunia in montibus, vel censibus collocata, vel in bancis camporum cum utilitate reposita inter bona immobilia, seu mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, consumatur; ac per consequens sine licentia Apostolica alienari non potest. Ita Sylvester, Quaranta, & Sylvest. alii, quos citant, ac sequuntur Bonacina de Alienatione bonor. Ecclesiast. disp. 2. quaest. unica, punct. 2. num. 5. M. Lezana tom. 2. cap. 19. num. 59.

QUESTIO X.

Quomodo, & pro quo tempore possint Regulares, res locales Conventus conducere.

SUMMARIUM.

- 51 Res Ecclesiae possunt acquiri, seu ad res fructuum proveniunt canonici.
52 Res Monasterii non possunt locari ad sex, vel novem annos.
53 In locatione per decennium, v. g. si sit diversis actibus, primum triennium, est validum, si uno actu nullum, & n. 54.
55 Si locatio fiat à beneficiario, vel Commendatario per totam vitam, quadam sententia negat, quod sit valida, alia affirmat; cujus ratio non procedit in regularibus, & n. 56. 57. & 58.
59 Locatio pro tempore incerto distinctione exponenda.
60 Locatio facta ab antecessore, ubi est consuetudo est valida, & n. 61.

Respondeo, quod possunt res locales Conventus, ut praedia, ad triennium conducere; & non ultra ordinariè loquendo, patet ex Extravaganti Ambitiosa. Ubi expressè prohibetur fieri locationem, conditionem ultra triennium: at vero si res sit ex illis; quae solent fructum ferre, non quotannis, sed alternis annis, tunc poterunt locari ad sex annos; & si res locata non fert fructum, nisi de triennio in triennium, ita potest locari per novem; per tres, nempe, annos utiles, ac feraces; & ratio

Covarr. Henric. Ugolin. Azor. Caldas. Zenedo. Lessius. Valquez. Barbosa.

52.

Barbosa. Covar. Valafcus. Molina. Filliucius. Castr. Pal. Tambur.

53.

Barbosa.

54. Barbosa. Filliucius. Pellizar.

Extravag.

Principia Juris.

55.

Filliucius.

56.

ratio est, quia annus in locatione non computatur ex simplici temporis decursu sed ex decursu, ac proventu fructuum; proindeque locatio rei computanda est ex tribus fructuum collectionibus. Ita Covarruvias, Henricquez, Ugolinus, Azor. Caldas, Pereira, Zenedo, & multi alii, quos citant, ac sequuntur Lessius de justit. lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 68. Valquez de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 9. num. 30. Barbosa de potestate Episcopi. part. 3. allegat. 95. num. 3.

Si vero quaeras, an res monasterii valeant locati ad sex, vel novem annos, apposita clausula, ut tot sint locationes, quot sunt triennia, ita ut elapso primo triennio, pro tunc res demud censeantur locari; Respondeo negativè; quia illa triplicata locatio praesumitur fieri in fraudem legis prohibentis locationes ultra triennium, ac proinde irrita est, & inanis, sicut sunt omnia pacta in fraudem legis facta. Ita Bartol. Covar. Valafcus, & multi alii, quos citant, ac sequuntur Molina de justitia, tract. 2. disput. 466. ad finem. Filliucius tom. 2. tract. 36. cap. 1. num. 6. Castr. Palus tract. 12. disp. unica de reb. Eccles. non alienandis; p. 14. num. 3. tamen ut advertit Tambur. de jure Abbat. tom. 3. disp. 14. quaest. 2. num. 2. Poterunt Religiosi promittere conductori ad alterum triennium se locaturos, dummodo de hoc scriptum publica non conficiatur.

Gravius dubium hic insurgit: facta locatione ultra triennium, verbi gratia, per decem annos, an saltem firma, & stabilis sit pro parte triennali, licet secundum quod excedit triennium nulla sit, & pro utraque parte margini, & graves stant Auctores magni, & gravibus rationibus, ut videre est apud Barbosam citatum, a num. 5.

Qui citatus Barbosa num. 11. & Filliucius tract. 44. cap. 2. num. 11. Pellizar tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 16. Cum distinctione solvunt questionem, quia vel illae locationes sunt tanquam unico contextu, quod multum interest, quia in uno anno potest periri, in alio locari vel sit tot diversis actibus; & contractibus, si vero primum dicatur; par negans validitatem actus tenenda est; quia Extravagans Ambitiosa: ponit locantem ultra triennium, & talem contractum nullum reddit, ac proinde cum hic non detur nisi unus tantum contractus, inde qui locavit afficitur poenis Extravagantis; proindeque contractus nullus redditur. Si vero secundum dicatur, pars affirmans validitatem contractus, quoad primum triennium sustinenda est, quia utile per inutile non vitiatur in iis quae sunt separabilia, ut pluribus Doctoribus ostenditur in libello de principiis utriusque juris licet V. num. 72.

Maximè tamen dubitabis; an liceat locatio ad tempus incertum, verbi gratia, donec Bellum duret, vel usque ad tempus vitae locantis, ut beneficiarium locare valeat fructus sui beneficii per totam vitam; Communiter Doctores respondent negativè cum Filliucio tract. 44. cap. 2. nu. 14. & 15. Si illa locatio excedat triennium taxatum, ac appositum in Extravaganti Ambitiosa.

Tamen quod beneficiarius possit locare fructus sui beneficii per novem annos, sicut & commendatarius fructus suae commendae, quae

sunt bona Ecclesiastica, ut patet ex decimis per novem annos, tenet expressè Valquez in opusculis, tract. de redditibus Ecclesiae, cap. 2. dub. 6. num. 31. & citat Covarruviam. Idem tenet Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 10. quaest. 3. in fine, citans Abbatem, Fredericum, Hostiensem, Rodoan. Reginald. tom. 2. lib. 25. num. 38. Bonac. tom. 3. disp. 2. quaest. 4. punct. 11. num. 8. & Camillus Borellus tom. 1. decisio. Portel. tract. 16. num. 18. Portel. tom. 2. casu 9. num. 1. in suis responsionibus.

Prima ratio hujus rei est, quam tradit Valquez citatus, num. 31. Covarruvias; quia dicta Extravagans solum intelligitur de rebus Ecclesiae, quae sunt immobiles, vel sunt res pretiosae, quae servando servari possunt, ut calix pretiosus, & similia: At fructus annui beneficii, vel commendae, non sunt res immobiles, neque pretiosae, quae servando servari possunt, ut aperte constat. Secundò: quia ratio ob quam beneficiarius, vel Praelatus non possunt alienare bona immobilia Ecclesiae ea est; quia non habent dominium bonorum, sed tantum habent administrationem; manente dominio penes Ecclesiam vel Summum Pontificem: nemo enim potest alienare id, cujus non est dominus; At beneficiarius habet verum dominium fructuum sui beneficii: ergo potest alienare fructus sui beneficii per totam vitam. Probatur minor, quod, scilicet, beneficiarius, vel commendatarius sit Dominus fructuum sui beneficii. Primò; id expressè docent Covarruvias, Sarmientus, Sylvester, Adrian. Corduba apud Valquez citatum, cap. 1. §. 2. num. 7. qui sunt gravissimi Auctores.

Et probatur etiam expressè ex cap. 1. de Clericis non residens. Ubi Pontifex ait, quod Clericus, vel Canonicus qui non residet non sit Dominus distributionum; ex quibus verbis Doctores argumentantur à contrario sensu, videlicet: ergo si Canonicus residet sit vere Dominus fructuum sui beneficii: tandem idem probant citati Auctores ex communi uso, ac praxi totius Hispaniae, in qua beneficiarii ex redditibus suorum beneficiorum, dant dotes in vita nepotibus ex fratre, vel sorore: Item ex praedictis fructibus relinquunt legata perpetua in suo testamento, neque de hoc aliquis eos condemnat, quod signum est illos vere esse dominos praedictorum fructuum, ac proinde sicut in morte de illis possunt disponere in perpetuum; item de illis poterunt disponere per locationem; per novem annos, vel per totam vitam, Ex prima ratione patet responsio ad citatam Extravagantem, & ultima haec ratio non procedit in praelatis Religionum, quia non sunt Domini: sed tantum dispensatores, ac ministri praedictorum bonorum.

Si vero locatio fiat pro tempore incerto, ac ambigno, verbi gratia, quantum bellum duraverit, si tempus illud est communi estimatione valde longum, ut excedat triennium, est nulla, licet triennium non exprimatur, subintelligitur; quia inaequivalentibus eadem militat ratio; si vero locatio est pro brevi tempore, quod includitur temporis legis valida est.

Tandem in hac re quaeres ubi viget consuetudo, fieri locationem ultra triennium

57.

Covar. Sarmient. Sylvester. Adrian. Cordub. Valquez.

58.

C. l. de Clericis.

59.

60.

abque consensu Sedis Apostolicæ; successor in beneficio teneatur stare tali locationi, quæ facta fuit à suo antecessore?

61.

Socius. Calderin. Aora. Vincent. Franc. Sylvest. Covarr. Quaranta. Filiucius. Covar. Parisi. Gutier.

Respondeo: si locatio facta sit nomine Ecclesiæ; & in evidentem, ac manifestam ipsius utilitatem, teneri successorem. Socius, Calderinus, Rota, Vincentius, Francus, Sylvester, Covarr. & alii quos citant, ac sequuntur Quaranta verb. Alienatio n.10. Filiucius tract. 44. cap. 2. num. 22. Si verò facta est nomine personali, successor non tenetur, nec illi vicissim conductor. Covarr. lib. 2. variar. cap. 15. Parisius lib. 1. de resig. quest. 16. Gutier. lib. 1. questionum, Canonis. cap. 36. num. 8.

QUESTIO XI.

Ad majorem cognitionem hujus, explicatur, quid sit locatio, emphyteusis & feudum?

SUMMARIUM.

- 62. Quid sit locatio.
63. Quid sit emphyteusis.
64. Differentia inter locationem, & emphyteusim.
65. Quid sit Feudum.
66. Differentia inter Feudum, & Emphyteusim.

62.

De aliis contractuum speciebus non agimus, quia ad nos non pertinent. Locatio est contractus quo persona, vel res aliqua ad usum, vel fructum pretio conceditur. Dicitur autem: ad usum, vel fructum: quædam enim locantur solum ad usum, ut servus, equus, domus, & similia, quorum fructus non est alius, quam usus ipsorum; quædam verò ad fructum, ut agri, & pascua, item jura, redditus, & vectigalia, dicitur: pretio, id est, pecunia.

63.

Emphyteusis, est contractus quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium utile, sub certa pensione reali solvenda in recognitionem domini directi, l. 1. C. ad de jure Emphyteutico, Res autem ipsa tradita, dicitur Emphyteuta.

L. 1. C. de Jure Emph.

64.

Differt à contractu locationis. Primum, quod emphyteusis solum constitui potest in re immobili, quæ cultura melior effici potest. Secundò; quod per eam transfertur dominium utile, manente solo dominio directo apud priorem dominum. Tertio, quod non fiat ad brevius tempus, quam decennii.

65.

Feudum, quod dictum est à fide, seu fidelitate: est contractus, quo quis tradit feudatario, seu vassallo rem suam immobilem quoad dominium utile, cum onere obsequii, & servitii personalis, quod conceditur ex benevolentia, vel propter merita, Julius Clarus de Feudo quest. 4. & 5.

Jul. Clar.

66.

Inter Feudum, & emphyteusim, quamvis in utroque transferatur dominium utile in recipientem, remanente dominio directo apud tradentem; tamen differentia est, ratione pensionis, nam quatenus pensio est personalis,

id est, consistens in obsequio personali, dicitur Feudum, quatenus verò pensio est realis, id est, consistens in pecunia, vel frumento, vel alia re simili, dicitur emphyteusis, aliquando verò in feudo aliquid solvitur in recognitionem domini directi, sed ex hac parte declinat ad conditionem emphyteusis. Ut notat Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 4. n. 5.

Lessius.

QUESTIO XII.

Verum Regulares possint bona immobilia suorum conventuum infeudare, seu emphyteuticare?

SUMMARIUM.

- 67. Religiosi bona immobilia suorum conventuum non possunt infeudare, seu emphyteuticare.
68. Nisi sint ab antiquo solito dari in emphyteusim.
69. Quando res dicitur incorporata conventui, & num. 70.
71. Bona prohibita sunt tam generaliter, quam specialiter accepta.
72. Bona solita dari in emphyteusim non possunt dari in feudum.

Dico: Bona immobilia suorum conventuum non possunt regulares infeudare, seu emphyteuticare, nisi solita sint ab antiquo infeudare, seu emphyteuticare. Filiucius. pract. 44. cap. 4. n. 36. Bonacina disp. 3. quest. 8. Bonacina. punct. 4. num. 20. Castr. Palauus tract. 12. Probatur primo: quia emphyteusis, & infeudatio, est alienatio largè accepta. L. Ulri c. de rebus, non alienandis. Secundò: quia prohibita est locatio ad tempus longum, ut dixi quest. 20. ergo multo magis emphyteusis. Tertio: quia expressè Extravagans Ambrosia: prohibet contractum emphyteuticum, ut bene notat Molina disp. 470.

67.

L. Ulri.

Molina.

68.

Dixi in conclusione: nisi solita sint dari in emphyteusim: antequam, nempe, incorporentur monasterio, & fiant de mensa, ac usu Religiosorum; dummodo hoc fiat in evidentem, ac manifestam Ecclesiæ utilitatem, absque ulla ambiguitate, & eodem modo, quo antea erat emphyteusis; quia si antea erat ad tres vitas, modo non fiat ad plures; & ratio hujus rei desumitur aperte ex dicta Extravaganti, Ambrosia: ubi dicitur: vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis. Deinde quia in hoc casu non intervenit nova alienatio, sed potius continuatur prior emphyteusis, hic autem non prohibetur coninatio alienationis, sed tantum alienatio simpliciter. Ut rectè notantur Jul. Clar. Covar. Greg. Lop. Molina. Barbosa.

Extravag.

Jul. Clar.

Covar.

Greg. Lop.

Molina.

Barbosa.

69.

Res autem dicitur incorporata monasterio, quando Prælatus una cum conventu determinat, ut sit ad sustentationem ejus. Ita Panormitan, Glossa: & alii cum Filiucio citato tract. 44.

Panormit.

Glossa.

Filiucius.

Yentigril.

tract. 44. cap. 4. num. 39. & Yentigrius Ann. de alienat. §. 1. nu. 23. si verò Prælatus rem retineat per aliquod tempus, quoad usque inveniat bonum Vassallum, cui infeudet, vel ob aliam justam causam, non ideo res censetur incorporata, & si longo tempore retineat, ut notavit Redoan. de rebus Eccles. non alienand. q. 62. n. 4.

Redoan.

70.

Bordon.

Bordon. tom. 2. quest. 17. contendit, quod ut res dicatur incorporata conventui, ultra requiri quod manu notarii descripta sit in Catalogo aliorum bonorum Conventus; ad ejus confirmationem adducit Bartol. Reinald. & alios; tamen ut dicatur incorporata Monasterio, vel Ecclesiæ fat est, quod sit destinata ad illius sustentationem, & ut dicitur de mensa Episcopi, vel Abbatis. Et colligitur in Rota Clementina unica, de excessi. Prælator. verb. Ad mensam. Panormitan. & alii apud Filiucium cit. num. 39.

Rota.

Clement.

Panorm.

Filiuc.

71.

Bona, quæ hic prohibentur emphyteuticari, sunt bona tam generaliter, quam specialiter accepta, quia licet in omnibus maneat dominium directum apud Dominum, transfertur tamen dominium utile, & utroque prohibetur in Extravaganti. Ita Molina, Lezana, Barbosa, Castr. Pal. Bonacin, Layman. apud Pellizarium tract. 6. cap. 8. num. 25. Qui etiam omnes docent, quod Prælatus Conventus bona solita in emphyteusim, seu feudum concedi, possunt etiam suis consanguineis, & cognatis dare omnibus conditionibus, & magna Conventus utilitate.

Molina.

Lezana.

Barbosa.

Castr. Pal.

Bonacin.

Layman.

Pellizar.

72.

An verò Prælatus bona Conventus solita dari in emphyteusim, possit etiam in feudum transferrere; Respondeo negativè, quia mutatur substantia contractus, & deterior fit conditio Ecclesiæ; nam emphyteuta Ecclesiæ cessando à solutione census per bicennium, cadit à jure suo, cap. Potuit. de locato, l. 2. cap. de jure Emphyteusis. An verò feudatarius Ecclesiæ, etiam per mille annos non solvat censum, à jure suo non cadit; sed persistit in eo. Ita cum multis Yentigrius. Annotat. de Alienat. §. 1. num. 23.

C. Potuit.

L. 2. c. de Jure.

Yentigril.

QUESTIO XIII.

An Regulares possint transigere, aut compromittere super bonis Monasterii?

SUMMARIUM.

- 73. Tales contractus sunt prohibiti sine licentia Apostolica.
74. Talis contractus factus non præjudicat successoribus, & potest ab eo annullari.
75. Bene tamen talis contractus potest fieri à Religiosis super re litigiosa.

73.

Rebuff.

Redoan.

Frederic.

Barbat.

Francus.

Filiucius.

Pellizar.

Respondeo, tales contractus prohiberi decretis Pontificum. Ita Rebuffus, Redoan. Frederic. de Senis, Barbat. Philipp. Francus, quos citat; ac sequitur Filiucius tract. 43. c. 2. num. 25. cui adheret Pellizar. tract. 9. cap. 8. num. 26. & conclusio procedit de bonis jam incorporatis monasterio, quæ ipso jure ad illud spectant; & probatur, quia transactio, &

compromissum cum sunt super re immobili sunt veræ species alienationis; ut late probant Craveta, Abbas, Parisi, Valascus, apud citatum Filiucium; ergo cum sint veræ alienationes includuntur in Constitutione Pontificia, ac proinde sine illius facultate alienari non possunt, excipitur tamen, si est consuetudo loci, ut sine consensu Apostolico, ac aliis solemnitatibus fiat.

Craveta. Abbas. Parisi. Valascus.

Advertunt tamen Filiucius, & Quaranta verb. Alienatio, num. 20. per transactionem, aut compromissum illegitime factum ab antecessore, nihil præjudicari successori, ab eoque potest legitime invalidari, ac annullari.

74. Filiucius. Quaranta.

Concedit etiam Bordon. Resol. 27. num. 59. Religiosos posse transigere, & compromissum facere super litigiosa, aut aliis præjudiciali; & probatur, quia res litigiosa non censetur adhuc incorporata monasterio, & ideo possunt Religiosi cedere, attento periculo damni impendentis, deinde, quia alienatio alicujus prohibita in jure non est alienatio necessaria; sed libera, l. 1. ff. de fundo, dot. l. Alienationes, ff. famil. ut jam supra dixi.

75. Bordon.

L. 1. ff. de Alienat.

QUESTIO XIV.

Verum, stante prohibitione Apostolica possint Regulares fidejuberere pro aliis, aut etiam cum ipsis contractum assessorationis inire.

SUMMARIUM.

- 76. Quid sit fidejussio.
77. quid sit contractus assessorationis.
78. Prima sententia affirmat, validum.
79. Secunda, & vera sententia dicit, esse nullum.

Ad exactam explicationem eorum, quæ dicenda sunt, supponendum, quod fidejussio, significat fidem suam alteri jubere, ac dare, & est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub sua fide illius adimpletionem, seque in illius defectum obligans. Ita Gomezius 2. variar. cap. 13. num. 1. Azor. 3. part. lib. 11. cap. 22. dub. 10. Rebellus, Lessius, Reginaldos, quos citat, ac sequitur Mantica tom. 2. de tacit. & ambig. lib. 16. tit. 9.

Gomezius. Azor. Rebellus. Lessius. Reginald. Mantica.

Contractus assessorationis, tunc fit, quando quis ob pretium, vel aliud interesse, vel gratis suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad compensationem totius, si tota res perierit. Ita Sylvester, Molina cum Bonacina de contractibus, disp. 3. q. 9. punct. 3. n. 1.

77.

In hac re Lezana tom. 1. cap. 9. num. 18. Pellizarius cum Cardinali Lugo tract. 6. cap. 8. num. 3. dicunt cum licentia Prælatus talem contractum licere, ut patet ex cap. penultimo, fidejussione: & quia hujusmodi contractus, tam fidejussionis, quam assessorationis, non includuntur in Generali hypotheca: ergo non veniunt in communi prohibitione, ac proinde sine solemnitatibus requisitis fieri possunt.

78. Lezana. Pellizar. Lugo. C. Penult.

Dico tamen, quod tales contractus non possunt

79.